



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Quid, & quotuplex sit relatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

ab anima rationali; haudquaquam poterit gradibus vllis remitti, vel intendi, haud præstare, vt vna rationalis anima sit magis intellectiua, quam alia, præsertim sibi æqualis: quod si intellectus sit qualitas realiter indistincta ab anima, idem à fortiori, vt aiunt, est tenendum, tum de illo, tum etiam de voluntate & cæteris id genus potentiis. Rursus vnus triangulus non est magis talis, quam alius, nec similiter quadrangulus, aliave figura præstat alteri sibi cognomini. Adde, nec qualitati vlli in abstracto, quantumvis ita sumpta veram rationem qualitatis obtineat, eam conuenire proprietatem, quandoquidem vna albedo, v.g. non est magis albedo, quam alia: hoc tamen vñs obtinuit, vt vna albedo dicatur intensa, & alia remissa, quæ est in alterutra, vel graduum multiplicitas, vel paucitas.

10 Postrema qualitatis proprietas est, vt penes eam res dicantur inuicem similes, aut dissimiles: quamuis enim esse fundamentum harum relationum eius sit essentia, iuxta superius constituta; cæterum ipsæ in actu secundo ei velut proprietates accidunt. Conuenit autem alterutri, non tantum omni qualitati, sed etiam soli, si sermo sit de similitudine, ac dissimilitudine physice, ac prescè sumptis; sin autem de eis metaphysice, ac latius vñsripatis sermonem instituas, multis, præter qualitatem, eas conuenire repereris: videlicet substantiæ; quo pacto Petrus, verbi gratia, & Bucephalus sunt dissimiles in ratione hominis, & dissimiles in ratione animalis; necnon quantitati; vna namque dualitas dici consuevit eo modo similis alteri, & vnum tricubitum alteri. Idem dicendum de cæteris prædicamentis: quæ enim supra disputata sunt de æqualitate, & inæqualitate respectu quantitatis, ea in præsentem locum habent in similitudine, & dissimilitudine intuitu qualitatis.

TRACTATUS VI.

De prædicamento relationis.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit relatio?

1 **R**ELATIO est, cuius totum esse est esse ad aliud, verbi gratia, similitudo in eo sita est, quod vnum vi illius sit sicut aliud: dissimilitudo in eo, quod aliter, quam aliud; æqualitas in eo, quod vnum non est maius alio; inæqualitas in eo, quod vñ minus alio. Ita Aristoteles in categoriis cap. 7. hisce verbis: *Ea verò dicuntur ad aliquid, quæ id, quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur.* Consentit Damascenus cap. 3. 4. Dialecticæ: *Ad aliquid, inquit, sunt, quæcunque ipsa, quæ sunt aliorum esse dicuntur, vel qualitercunque aliud ad aliud.* Et paulò infra: *Hoc est esse eorum, quæ ad aliquid, & hæc ipsorum est hypostasis in eo, quod est ad aliud dici, id est in eo, quod est habere habitudinem ad aliud.* Id ipsum etiam tradit Augustinus in categoriis cap. 11. *Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id, quod est dicitur ex altero sine cuius Societate esse non possit, & cuiusvis omnis ex alterius coniunctione descendit, vt duplum simpli dicitur duplum, & maius minoris dicitur maius, simile simili dicitur simile.* Claret igitur ad aliquid, non sua vi, sed alterius coniunctione consistere. Id etiam cæteri omnes,

2 Secundo definiiri potest, & solet relatio; quæ ita duo coniungit extrema, vt altero sublato non possit alterum intelligi, alteroque posito necessariò inueniatur & alterum: nam si patrem dixeris, necessariò intelligetur & filius: quod si non intelligas filium, Patrem de medio sustuleris. Sic etiam Dominus, & seruus, duplum, & simplum, & cætera id genus simul sunt, & simul non sunt, atque alterutrum se, vel perimunt, vel ostendunt. Quocirca meritò Augustinus loco supra citato: *Tunc ergo, & verè, & proprie ad aliquid dicitur, cum sub vno ortu, atque occasu, & id, quod iungitur, & id cui iungitur inueniatur.* Porro autem haud est necesse, vt quoties datur vnum relationum, detur etiam aliud acta, sed satis est, si in potentia: scibile namque refertur ad scientiam, non quæ necessariò existat, sed quæ possit existere.

3 Relatio, alia est realis, alia rationis: illa est quæ extrema realiter distincta comparat, adeoque est in rebus, circumscripta quauis fictione intellectus, qualis est ea, quæ inter Patrem & filium, actumque, & obiectum interuenit: hæc extrema realiter indistincta necit, ac proinde non est vera relatio, sed ab intellectu conficta, cum nihil possit verè referri, nisi ad aliud propriè tale: atque eiusmodi est relatio, quæ dicitur aliquid sibi idem, quæue subiectum fingitur referri ad prædicatum, aut genus ad collectionem specierum.

4 Deinde relatio, alia est secundum esse, alia est secundum dici: hæc in eo consistit, quod rem aliquam per modum alterius concipiamus, vt cum Deum veluti corporeum, & Angelum veluti inuenem alatum ob oculos mentis nobis proponimus: illa verò est quænis alia realis relatio. Non pauci tamen superiores diuisiones confundunt, realemque relationem putant perinde esse, atque secundum esse, ac relationem rationis dicendam esse secundum dici. Aliqui etiam existimant relationem secundum esse recidere in prædicamentalem, de qua inferius, & secundum dici in transcendentalem, quæ diuidi solet ex aduerso prædicamentalis. Sed res est parui momenti, parumque interest, an cum his, vel cum illis, vel cum neutris loquamur. Tertio; relatio, alia est mutua, alia non mutua: quandoque enim duo extrema mutuo se respiciunt, vt Pater filium, & hic Patrem, quandoque verò non reciprocantur inuicem; actus enim respicit essentialiter obiectum, hoc autem ita non respicit actum, sed potius ab eo respicitur. Præterea quarto; relatio, alia est æquiparantia, cum extrema aliqua in eodem genere se respiciunt, vt similitudo, quæ Ignatium Xauerio, & Xauerium Ignatio assimilât, aut æqualitas, quæ anima Petri, verbi gratia, est æqualis animæ Pauli, & è contrario: alia est disquiparantia, cum extrema in diuerso genere se respiciunt, vt Paternitas, quæ Sophroniscum velut Patrem refert ad Socratem, hunc verò ad illum, non vt Patrem, sed vt Filium: aut relatio inæqualitatis, quæ linea diametralis refertur ad lateralem, velut ea maior, contra verò hæc ad illam veluti ea minor.

5 Harum diuisionum alia sunt perquam faciles; at alia difficultate non vacant; eam certè auctoribus facessunt. Circa eam, quæ dissecata est relatio in realem, & rationis quæres, an sit vniuoca, vel potius analogica? quod priori modo se habeat, non verò posteriori, sentiant Caietanus 1 part. questione 28. art. 1. & 2. Ferrara 4. contra gentes cap. 14. Capreolus in primum dist. 33 q. 1. Soncinas lib. 5. metaphys. quæst. 26. conclus. 2. aliique plures Thomistæ. Quorum fundamentum est, relationem esse, cuius totum esse est esse ad aliud: at relatio rationis, quamuis fictum,

fictum, & non verum esse habeat, illud tamen qualecumque & quantumcumque est, ad aliud est, & præterea nihil: erit ergo propriè relatio, non minus quam realis, adeoque cum ea vniuocè conueniet.

6 Cæterum contrarium est Patris Suarez disput. 47. metaphys. sect. 3. Vasquez tom. 2. in primam partem disp. 144. Hurtadi disp. 15. metaphys. sect. 4. nostro- rumque communiter; estque multis partibus probabilius. Nam relatio est ad aliud: quare ubi non est propriè vnum, & aliud, haud etiam esse poterit propriè relatio: quæ autem referuntur tantum ratione nostra, non distinguuntur verè, ac proinde non sunt propriè vnum, & aliud, veluti cum quis fingitur ad seipsum referri relatione identitatis: haud igitur ea relatio, haud alia, quæuis, quæ sit solius rationis, ac ficticia esse poterit propriè relatio: at relatio realis veram, ac propriam relationis rationem obtinet: fieri ergo nequit, ut ambæ vniuocè conueniant in conceptu relationis, quo pacto hominis veri, ac picti conuenientia nequitum est vniuoca propter id, quod alter tantum sit propriè homo, alter verò non nisi translatiue. Atque hinc constat ad rationem contrariam: nam relatio rationis non est ad aliud propriè, & verè propter defectum veræ distinctionis inter eius fundamentum, & terminum: quæ ergo infertur, eam fortini propria, ac rigorosa ratione conceptum relationis, ritu eius, quæ realis dicitur.

7 Rursus aduersus eandem sententiam argumentor. Quidquid sit de ratione obiecti, cognoscibilis, amabilis, aliisque id genus terminis secundæ intentionis, certè nullus conceptus primò intentionalis esse potest vniuocus respectu entis realis, & rationis, ut constabit ex dicendis inferius lib. 5. tract. 2. cap. 8. & 9. his enim locis ex professo confutabitur vniuoca entis ab eiusmodi inferioribus abstractio: quæ autem entis eadem est cuiusvis alterius termini primæ intentionis ratio, & conditio quod ad præsens attinet: atqui relatio realis est ens reale, & quæ dicitur rationis est ens rationis: nequit ergo abstrahi ab utraque relationis vniuoca ratio: hæc etenim non secus, atque ens in terminis primæ intentionis est numeranda.

8 Aduersarij, ut huic respondeant argumento, distinguunt in relatione reali conceptum *in* & conceptum *ad*. Illa namque prout est forma quædam in fundamento existens quodammodo, siue quatenus est accidens reale cæteris nouem assimile, dici consuevit conceptus *in*: prout verò fundamentum, cui inest, ad aliud refert, siue quatenus accidentis realis est peculiaris quidam modus, ac specialis differentia, huiusque prædicamenti ad aliquid propria, appellari solet conceptus *ad*: aiunt ergo hi, quibuscumque lis, relationem realem penes solum conceptum *in* esse ens reale; at verò secundum conceptum *ad* non esse ens reale, sed quidpiam præfictum ab ente reali, & rationis; adeoque mutum non esse, si à relatione reali, ac relatione rationis penes vtriusque conceptum *ad* abstrahi possit vniuoca relationis ratio: haud enim, inquirunt, in eis ita sumptus nostrum procedit argumentum.

9 Nequaquam tamen eius vim pro eo ac putant, effugiunt: nam conceptus *in*, & conceptus *ad*, ex quibus compingitur relatio realis, haudquaquam sunt realiter distincti, sed alteruter idem alteri, ut vel aduersarij consentunt: quomodo ergo esse potest, ut in relatione reali conceptus *in* sit ens reale, & non ex æquo conceptus *ad*, vtve accidens reale tertium, vel certè quartum in prædicamenti locum obtinens aliquo non reali compleatur? nihil equidem dici potest magis absurdum, absorumve.

Replicant propterea; conceptum *ad* non præfictum realiter à conceptu *in*, enteue reali in eo clauso, cæterum esse præfictum, tum ab eo, tum etiam ab ente rationis ratione nostra; atque hanc posteriorem præcisionem satis esse, ut relatio sit quid vniuocum respectu realis, & rationis quoad vtriusque conceptum *ad*. Contra tamen; quia, vel sermo est de præfinitione vniuoca, vel de analogia? Si de hac: in primis non est ad rem, cum non sit quæstio, an sit admittenda ratio communis analogica, sed potius vniuoca relationis ad realem, & commentitiam. Deinde analogorum omnium, & quocumque præcisionem ab inferioribus suis Caietanus, & alij non pauci eorum, quibuscumque disceptamus, eunt inficias: quocirca inconsequenter hæc eam nobis obtrudunt: sin autem de illa priore, idem, ut aiunt, per idem respondent, & quod controvertitur vtrinque, hoc pro ratione conclusionis afferunt: id enim quaeritur, & agitur, quo pacto possit abstrahi ratio communis vniuoca relationis à reali, & solius rationis, quandoquidem illa ab hac in eo differt, quod sit verum ens reale: friuolum ergo est respondere, abstractionem illam contingere posse propterea quod relationis realis conceptus *ad* sit quid vniuocum, & abstractum ab ente reali in conceptu *in* clauso, necnon ab ente rationis. Quod accedit, simili distinctione conficta, posse similiter defendi ab homine vero, & picto rationem vniuocam hominis abstrahi; si nimirum imaginis conceptum hominis in eo, qui verus est haud esse ratione nostra aliquid ens reale, sed eo, & rationis fingentis, aut veluti pingentis ente alius quiddam, atque superius.

Hæc, quamuis ita sint, illud negare nec possum, nec debeo; vnum quendam conceptum obiectiuum relationis, qui quidem non sit vniuocus, sed analogus, abstrahi à relatione reali, & rationis. Inferius enim tract. 2. libri quinti capite 8. & 9. nuper citatis ostendendum erit, cum analogia entis respectu realis, & rationis eius ab vtroque abstractionem, & non nominis modò, sed conceptus etiam obiectiuum coherere vnitatem: in præfenti autem similis est ratio, ut intuenti clarebit. Atque ita videtur sentire Henricus quodlib. 9. quæst. 3. hisce disputans verbis: *Esse ad aliud ex se nullam recipit, distinctionem, aut diuersitatem, siue fuerit in diuinis, siue in creaturis, siue in relationibus secundum rem, siue in relationibus secundum rationem.*

12 Altera difficultas est circa diuisionem relationis in mutuam, & non mutuam: eam enim negant, & contra quam ea præscribit, omnem relationem censens esse mutuam, & nullam non mutuam Damascenus in Dial. cap. 50. his verbis: *Siquidem mutua habitudo ea, quæ ad aliquid sunt efficit.* Gregorius in primum distinct. 28. quæst. 1. & quidam nominales. Cuius sententiæ primum fundamentum est: siqua relatio esset non mutua, maximè scibilis, & scientiæ, ut omnibus est in confessorat hæc est mutua: vt enim scientia refertur realiter ad scibile, ita etiam scibile ad scientiam; quidni verò? sicut enim hæc est alicuius scibilis scientia, ita & illud alia scientia scibile. Secundum sic habet: qui relationem realem, de qua sola sermo in præfenti, non mutuam defendunt, eorum plerique hoc vtuntur colore, quod nimirum creaturæ referantur realiter ad Deum, non autem hic ad illas; ita enim sentiunt de Deo, & rebus ab eo creatis magister lib. 1. sententiarum distinct. 30. & ibidem plerique eius interpretes, præsertim verò Hispanensis, Bonauentura, Richardus, Egidius, Capreolus, Scotus, & huius passim sectatores. Item B. Th. 1. part. q. 13. art. 7. & secundo contra gentes cap. 12. eisdemque locis Caiet. Ferraricensis, Bañez, ac cæteri ferme

fermè Thomistæ. Insuper Alexander Alensis 1. part. quæst. 53. Henricus quodlib. 9. quæstione 1. Suarez disp. 47. metaph. sect. 15. Vasquez tom. 1. in 1. partem quæst. 13. art. 7. in commentatio, Molina ibidem, ac Valentia tom. 1. disp. 1. puncto 4. Balthasar Tellez in metaph. disp. 42. sect. 4. & apud eum Arrubal, Fonseca, Conimbricenses, Albertinus, Fasolus, ac Præpositus. At tot, tantorumque auctorum pace relatio realis Deum, & creaturas suas interiecta est mutua, ac reciproca, uti namque creaturæ sunt realiter, & seclusa operatione intellectus similes Deo, ita etiam Deus creaturis, & uti in his est relatio realis feruitutis, ita & in illo dominij priorem excipiens, eique ex diametro respondens.

13 Et quidem, si qua de causa hæc, & aliæ eiusmodi relationes non essent reales in Deo, sed solius rationis; contra verò in creaturis reales, & non rationis; maxime, quia quando sunt reales sic sunt in modis quibusdam; Deus autem, ut mutationis omnis, sic etiam modorum ei denuo aduenientium, eumque intrinsece afficientium est prorsus incapax, quam tamen in creaturis incapacitatem nemo possit adstruere: at relationes illæ prædicamentales, aliæque affines non consistunt in modis intrinsecis, sed sunt denominationes quadantenus extrinsecæ, & ex quæ possunt, & solent sine ulla mutatione, aut vicissitudinis obumbratione fundamentis suis accedere, atque recedere, ut clarebit inferius: quidni ergo sint in Deo, haud secus, atque in creaturis reales? Qua in sententia videtur fuisse B. Anselmus apud P. Suarez citata sectione 15. numero 16. & P. Hurtadum disp. 15. metaph. sect. 2. ubi eius verba in medium proferunt. Tertium eius opinionis fundamentum est; relationem omnem realem terminari, non ad absolutum, sed ad relatum: nulla ergo est, cui non correspondeat ex aduerso alia, & quæ consequenter non sit mutua.

14 Cæterum eam diuisionem amplectuntur, multasque relationes reales esse non mutuas, tuerentur reliqui omnes scholastici: Estque (ut cum P. Suarez nuper laudata sect. 15. num. 8. loquar) *sententia tanta confessione recepta, ut non liceat philosophis eam in dubium reuocare.* Suadetur autem hunc in modum. Relatio patris, filij, domini, ferui, maioris, & minoris, quævisque alia, disquiparantiæ dicæ solita, non est mutua in eodem genere: ergo ita est non mutua; consequentia liquet: antecedens etiam; nam duo homines, v. g. ita sunt instituti, ut non quemadmodum vnus est alterius Pater, ita etiam alter, sed potius filius, ac proinde non eadem, sed diuersa ratione relatus inuicem: Dominus item non alterius Domini, sed ferui Dominus est, maius non alio maiore, sed minore maius: Forma quoque relationem subiecti, siue recipientis materiæ propriam, non alia simili, sed potius relatione receptæ, & inhaerentis excipit: quævis denique creatura habet ad creatorem quandam relationem essentialis cum eo connexionis: contra verò creator non connectitur essentialiter cum vllius possibilitate creaturæ, ne dum existentia. Fieri quoque possunt alia duo in eiusdem rei confirmationem argumenta: alterum in scientia, & scibilibus; alterum in Deo, & creaturis: tum enim illorum relationem esse non mutuam, tum etiam horum aliis quidem nominibus super ea, quæ sunt proximè indicata statim clarebit.

15 Ad primum argumentum contrarium aliqui cum P. Suarez disp. 47. metaph. sect. 15. num. 14. respondent, relationem scibilis ad scientiam neutquam esse realem, realis vtique fundamenti defectu: qui sanè ab eorum aliis, aliisque multifariam solet explicari: probabilior, & à circulo, & repetitione prin-

cipij magis aliena illius explicatio est, ut aliquid sit scibile, vtque, quod plus est, sciatur actu, nequaquam opus esse, ut exilat, quin potius vtamque denominationem relatiuam subire posse aliquid non existens, ac realitatis expers, adeoque nihil: quod autem inquitur est nihil, quis hoc appeller fundamentum reale relationis?

16 Contra tamen primò: quoniam fundamentum, tum vt res sciatur, tum etiam, ut possit sciri, est eius veritas transcendentalis, quæ tametsi sit aliquando nihil actu, aptitudine tamen, & quidditatiua sibi potentia semper est aliquid: quid est ergo quapropter esse, & appellari nequeat fundamentum reale, cui sit superimposita relatio? nisi vero, quæ non existunt, ea sint non res realesve entitates, adeoque chimæræ, quo nihil fingi potest magis chimericum, & commentitium. Contra secundo: quia, ut inferius demonstrabitur, relatio prædicamentalis, realisque ferri potest ad terminum non existentem: cur ergo postulet semper fundamentum actu existens? cur reale, hoc si cum actuali, & existenti coincidit? Contra terriò; quoniam scibile intuitiue, & proximè nihil esse potest, quod non sit actu existens, haud enim est potentia proxima ad intuendum intellectum, sensuve res non existentes: ergo saltem huiusmodi relatio potest, ac debet esse realis, quandoquidem non desiderat fundamentum actu existens, non reale eo modo, quo hoc ab aduersariis explicatur in presenti.

17 Contra quartò: quoniam ob id hi, quibuscum est disputatio, ad relationem realem exposcunt fundamentum reale, siue de eorum phrasi, realitate, & existentia præditum, quia putant omnem relationem realem esse modum de cuius, sicut & accidentium absolutorum essentia est in aliquo ad existentiam, actumque reducto suscipi: qui enim, inquitur, fieri potest, ut candor, verbi gratia, vtve eius vnio recipiantur in eo, quod non est actu, neque existit? At multas relationes, ac prædicamentales, nisi fortasse omnes, esse denominationes quasdam respectiuas quadantenus extrinsecas, atque in modis nequaquam fitas multò verius est, ut haud ita post constabit. Ratio ergo qua innititur contraria solutio non est ponderis alicuius. Contra denique quintò: quoniam his esto de causis aduersarij, cum Hurtado appellent ad relationem scibilis, aut scitæ, quæ conuenit alicui negationi, aut chimæræ, quarum neutra potest esse fundamentum reale, cuius adminiculo referantur ad aliud quidpiam, hoc eis parum proderit: nam alterutra relatio est realis extrinseca, non verò intrinseca, quippe in scientia actuali aut aptitudinali sita: quemadmodum ergo siue reali fundamento vtumlibet obiectum, negatio videlicet, & chimæra dicitur realiter scitum, ac scibile propter id, quod particula *realiter* non intrinsecam aliquam realitatem, sed extrinsecam indigiter; ita simili de causa poterunt realiter referri ad scientiam, cui subiacent.

18 Rursus alij cum Caetano 1. part. quæstione 13. articulo seprimo, volunt, relationem prædicamentalem scibilis ad scientiam esse realem non minus, quam scientia è contrario ad scibile: cæterum eam esse non mutuam, quoniam eius beneficio scientia referitur intrinsece ad scibile; hoc autem ad illam extrinsece, & per modum, non qui in eo sit, sed qui in sola scientia. Verum in primis hi modi prædicamentales sunt intellectu satis obsecuri, atque difficiles, ut constabit inferius. Deinde iis disputandi

putandi gratia permixtis, haud est minus difficile ad intelligendum quo pacto vnus, idemque modus prädicamentaliter referre possit scientiam ad scibile, & e conuerso scibile ad scientiam: ita certè Pater ad filium, & filius ad Patrem vno tantum modulo referri poterunt, nec Paternitas erit à filiatione, aut hæc ab illa realiter distincta: quod modalistarum nemo, quem viderim, ausus est hucusque asserere, vno excepto Henrico qui id quodlib. 9. quæst. 3. aut sentit, aut certè subindicat.

19 Pater Suarez disputatione & sectione paulò suprà citatis n. 11. & 12. Caietanum impugnat, propterea quod eadem forma nequeat esse par diuersis denominationibus simul tribuendis; vnde confici videtur eundem modum, quo scientia refertur prädicamentaliter ad scibile inferuire non posse ad referendum è contrario scibile ad scientiam, eique vicem rependendam. Verum, vti iuxta ipsam eadem forma denominat causam agentem, & passum recipiens, non est, si aliunde non obstat, cur etiam idem modus scibile ad scientiam, & ad illud hanc referre nequeat, diuersasque eis denominationes impertire: quod enim ait ibidem eximius Doctor, in forma illa quantumvis realiter vna, distingui tamen ratione duas formalitates, quarum vna sit actio, & alia passio, neutiquam satisfacit: namque etiam in modo illo Caietanico similis formalitatum distinctio potest excogitari. Rursus eadem realiter cognitio potentiam cognoscentem, & obiectum denominat cognitum: vnitatis ergo formæ cum effectuum formalium, siue denominationum multiplicitate coheret.

20 Dilucidior ergo argumenti me iudice solutio est; relationem scibilis ad scientiam, & huius ad scibile esse realem: at vti superius inter ipsam diuisionem, quam tuemur, explicandam insinuat, hoc esse vtrinque discrimen, quod ea relatio sit essentialis scientiæ, siue sit prädicamentalis, siue transcendentalis tantum, de quo in tempore; scibili vero tantum extrinseca & accidentalis, vti que penes id, quod importat in recto, & ex principali: atque hoc satis esse, vt ea relatio non sit mutua in eodem genere, sed potius cuiusdam reciprocationis experts. Non ræ lateat, Scotum in 4. dist. 12. quæst. vnica, in ea esse sententia, vt putet scientiam haud essentialiter referri ad obiectum, sed tantum ex accidenti, siue talis relatio accidat scientiæ extrinsecus, siue extrinsecus, & siue in ea sit reipsa, siue tantum ex modo nostro concipiendi: aliter enim, aliterque solet accipi eo in loco Scotus. Verum latè reiciendus est infrà lib. 7. tract. 3. Modo satis fuerit eum ad hominem impugnare: sicut enim scientiæ iuxta ipsum essentialis est respectus ad subiectum, quod denominat sciens; cur non etiam ad obiectum, quod denominat scitum aut scibile?

21 Ad secundum argumentum respondeo: in primis esse probabile non tantum creaturas ad creatorem, sed hunc ad illas realiter referri, velut Dominum, maiorem, creatorem, aut similem quodammodo: id enim rationes obiectæ suadent: id censent auctores non ignobiles, præsertim verò Durandus in 1. dist. 30. q. 3. Ocham, & Gabriel ibid. q. 5. Gregorius in 1. dist. 28. quæst. 3. art. 1. Marfilus in 1. quæst. 3. art. 1. Palacius in 1. dist. 5. Hurtado disp. 15. metaph. sect. 2. & apud eum Soncinas, Heruæus, & alij. Quamuis autem ita se res habeat, certè nihil inde colligitur aduersus nostram assertionem: tum quia licet relatio realis Deum, & creaturas inuicem comparans sit mutua in diuerso genere, at in eodem est non mutua: in Deo enim est dominij, in creaturis seruitutis, in illo causæ, & creatoris, in his effectuum, in illo non prädicamentalis, saltem physice; sicut enim substantia Dei est extra

prädicamentum, vel omne, vel certè physicum, ac magis rigorosum quidquid sit de metaphysico, ita etiam eius relatio quæuis iuxta dicta superius tract. 1. huius libri in his vero prädicamentalis: in illis neutiquam essentialis, aut iuxta aliorum phrasim transcendentalis: in his vero essentialis, & quidditatiua: tum etiam, quia, quidquid sit de Deo, & creaturis, certè inter scientiam, & scibile, aliaque extrema est visere complures relationes minimè reciprocatas. Vtrumque autem horum satis est ad præfaram diuisionem. Ad tertium argumentum constabit inferius cap. 7.

22 Non me præterit PP. Suarez Hurtadum, ceterosque communiter eius diuisionis, qua de agimus patronos tueri relationes reales, nec in eodem, nec etiam in diuerso genere mutuas. Verum id & falsum est, vt liquescit ex hæcenus dictis, & ad diuisionem illam tuendam supernacaneum: sicut enim principia entis naturalis, videlicet materia, forma, ac priuatio definiuntur ab Aristotele, cæterisque philosophis, quæ neque ex se neque ex aliis fiunt, sed omnia ex ipsis, non quod non sint ex aliis principiis in diuerso genere: sunt enim ex causis suis efficientibus, sunt etiam suis ex finibus, sed quod non in eodem, ita similiter, vt præter relationes mutuas adstruantur aliæ absoluta ratione non mutua, sufficit eas non esse tales in eodem genere quamuis interim reciprocentur in diuerso.

CAPVT II.

Diuisio relationis in prädicamentalem, & transcendentalem, & in quonam amba diffideant.

23 Relatio prädicamentalis dici consuevit, vel quæ quidpiam dicitur simile, aut dissimile, æquale, seu inæquale alteri, vel qua quispiam dicitur Pater, aut filius alterius; quo etiam accedunt aliarum quarumcunque causarum, & effectuum id genus respectus, vel qua denique scientia ad scibile, & mensura quæuis ad mensurabile referuntur, aut è conuerso: Relatio transcendentalis latius funditur, & per omnia, vel certè pleraque vagatur prädicamenta: substantia namque refertur transcendentaliter ad accidentia, quibus subsistat, hæc ad substantiam, cui inhærescunt, actio ad terminum, quem productum, causamque, quam producentem denominat, passio ad formam, quam receptam, subiectumque, quod recipiens constituit, vbicatio, & duratio ad tempus, & locum. Hæc relationis in vtramque diuisionem quali quali enumeratione declarata inter omnes est recepta: illud autem non admodum; quæ sit ratio relationis omnes prädicamentales complectens, & à transcendentalibus fecernens, quæve è contrario cunctas transcendentales cohibeat, & prädicamentales reiciat.

24 Aliqui quorum meminit Pater Suarez disput. 47. metaphys. sectione 4. numero 2. & P. Hurtadus disputatione 15. metaphys. sectione 8. num. 68. quosque postea sequutus est P. Balthasar Tellez in metaphys. disputatione 42. sect. 1. conclus. 2. num. 21. docent vtriusque relationis discrimen in eo situm esse, quod transcendentalis non postulet terminum existentem actu, secus verò prädicamentalis: etenim vbi sit aliquis Pater, oportet aliquem eius esse filium, si similis quis, opus etiam est, vt quispiam ei existat vicissim similis; quod idem visere est in reliquis respectibus id genus: cæterum cognitio, verbi gratia, refertur